

iniquis? « Quia esse, iniquis ad prædictum collo-  
cutorem suum, sanctorum animas in cœlo sacri elo-  
quii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia  
esse credas et iniquorum animas in inferno; quia ex  
retributione interræ justitiæ, ex qua justii gloriantur,  
necesse est per omnia ut et injusti crucientur.  
Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi ne-  
cesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exu-  
rat. » Quæ nimirum cuncta idem veracissimus do-  
ctor non solum verborum sententiis, verum etiam  
rerum ostendit exemplis. Idem certe in præfato libro  
narravit, quod anima Germani episcopi in sphaera  
igneâ ab angelis fuerit in cœlum sublata. Idem quod  
sancti Benedicti per viam palliis stratam ad super-  
nam regionem perducta. Idem quod servuli hospi-  
talis paralytici ab internis cœlorum laudibus sus-  
cepta, ac super altissimos eorum cardines evecta.  
Idem quod sacræ virginis Scholasticæ ad æthereum

thalamium in columbæ specie perducta. Idem quod  
venerabilis Romulæ ad perennem vitam cœlestibus  
exsequiis assumpta. Idem quoque dixit quod spiritus  
Gordianæ amittæ ejus gehennæ incendiis fuerit man-  
cipatus. Quod Hilliricianus monachus ad inferorum  
loca deductus, hujus sæculi potentes ac divites in  
medio flammarum viderit suspensos. Sufficit, satis  
est. Quis fidelium de hac re ultra dubitare potest?  
Mulum idoneus et iste testis est, contra cujus sen-  
tentias ire nefas est. Quapropter admonitos vos esse  
volo, quoscumque imperitissimus ille mendaciorum  
anfractibus a cœlesti sapientiâ deviare conatus est,  
ut ad procinctum fidei tendentes non quasso ranun-  
culi stridore a cœpto itinere deviemini, sed claris-  
sime resonantem supernæ civitatis tubæ clangorem  
sequamini. Hæc est mea pro vobis ad Deum de-  
precatio, hæc etiam ad vos mea salutatio. Amen.

## V.

### EPISTOLA CUJUSDAM.

#### QUID SIT CEROMA.

(Ex libro IV Miscellaneorum Baluzii.)

Quæstionculam mihi datam a vestra reverentia  
his diebus attulit familiaris noster Fredilo, in qua  
requirebatur quid proprie viri non incelebres intellex-  
erint esse ceroma. Id verbum fertur in auctoribus  
ingenuarum artium disciplinæ summopere præditis,  
necnon et apud nostros qui palmam Romani eloquii  
suo sæculo meruerunt. Quamvis igitur pueros et im-  
becilles nos judicent illi qui nervos et medullas ip-  
sumque, ut dicitur, sanguinem ex libris antiquorum  
eliciunt, sententiarum potius altitudinem quam ver-  
borum humilitatem persequentes, nobis tamen com-  
petens magis videtur a primis ad secunda conscen-  
dere quam, primis neglectis, temere ad secunda pro-  
ripere. Cum enim virtus eloquentiæ verborum splen-  
dore et sententiarum gravitate formetur, verborum  
decor primum est appetendus, tum demum senten-  
tiarum robur et lux intima est requirenda. Quam-  
obrem lumen et sensus dilectus verborum semper a  
studiosis est habendus, ne violata magistrorum re-  
gula confusa et inordinata commentia quæ tradit pro-  
rumpat. Hæc quidem generaliter prolata inconsultam  
extraordinariamque præsumptionem confutant. Nunc  
specialem hujus verbi habeamus considerationem. Et  
ut evidentiior via se ad hoc astruendum aperiat, altius  
quiddam censeo repetendum.

Ludi qui diebus festis causa religionis ad dele-  
ctandum populum a juvenibus agebantur, et quorum  
causa spectacula vario genere populo permitteban-  
tur, aut gymnici, aut gladiatorii, aut circenses, aut  
scænici nominabantur; quos tamen sibi diabolus  
sub invocatione deorum, imo dæmonum voluit exhi-

beri a mortalibus, ut sub obtentu pietatis et religio-  
nis miserorum animas in suum jus transfunderet.  
Ergo principalis ludus, quem gymnicum diximus  
fuisse, velocitatis ac virium gloria constabat. Is locus  
ubi exercebantur, gymnasium, et hi qui exercebant,  
athletæ vocabantur. Genera autem gymnici ludi ex-  
stitisse traduntur, cursus, saltus, jactus, virtus, et  
luctatio. Sed quia priore tempore cincti atletæ  
exercebantur, nec nudarentur quousque quidam re-  
misso cingulo prostratus exanimatusque in ludo  
apparuit, inde nata dicitur consuetudo ut deinceps  
juvenes nudi exercebantur capistris in parte ce-  
landa corporis succincti. Athletæ autem Græca ap-  
pellatione a laterum complexu et commissione di-  
cuntur, qui cominus decertantes adnixi persistent,  
ne alter alterum quocumque casu falleret aut astu  
impediret, peruncto corpore olei liquamine; exerci-  
tatio quæ agebatur proprie ceroma vocatur. Locus  
autem destinatus luctationi palæstra vocabatur; qui  
inde trahit etymologiam, vel a luctatione, vel a motu  
urnæ, id est, sortis, eo quod ad palæstram sortito  
digerentur. Est ergo sensus proverbii: Oleum et  
impensas perdit qui mittit boves ad ceroma; quod  
sicut stolidum et brutum animal, quanquam robu-  
stum et vegetum, tamen exquisitæ arti est inutilis,  
quæ non tantum viribus, sed etiam subtilitate et in-  
genio propter lacertorum complicationem multiformem  
agitur. Quippe cum sint eadem animalia vasti  
corporis, ac propterea nequaquam scænicis motibus  
idonea, etiamsi more athletarum eis perfricatio ad-  
deretur, ita illi inertes judicantur qui a primis præ-

ritiæ temporibus ludis scholaribus deputati, variarum studia doctrinarum nequaquam in se admittunt, sed inexercitati et invalidi, veluti stolidi et insensata animalia, a profunda et multiplici rerum indagine rejiciuntur; de quibus merito supradictum proverbium cantatur. Et quoniam propriis huic arti cibis ipsi athletæ vescebantur, sicut erant coliphia, unde scilicet et vires auferentur et corporis habilitas industriaque non periclitaretur, idcirco subsequitur in eodem proverbio quod etiam impensæ perdantur quæ in debite negligentibus et minime aptis ingeruntur. Nonnulli ceroma intellexerunt esse artificium quoddam juxta morem antiquum pingendi, cui, ne facies et pulchritudo picturæ vetustate temporis aboleretur, ceræ mixtura apponebatur, modico igni huic temperamento adjecto, ut æqua mensura colorum ceræque concordante, nec venustas et gratia coloribus nec ceræ perspicuitas deesset. Hoc genus pingendi etiam a Boetio viro doctissimo commemoratum adhuc suo tempore viguisse dubium non est.

A Quadam igitur inflexione nominis adducti sunt qui hoc senserunt esse ceroma, ut verbi gratia sicut homo ab humo, ita ceroma a cera originem ducere existimetur. Sed hoc non satis prudenter intellectum, etiam ipse sensus manifestat. Quamobrem superior expositio, quæ et securior atque secretior antiquiorque judicatur, vobis credo satisfaciet, nugasque varie commentantium apud vestram prudentiam exstinguet. Hoc de parva re sine fraude apud judicium prudens vestrum disposui, charissime virorum; oroque vestram ingenuam prudentiam ut fastidiosorum supercilia declinantes, apud vos contineatis quæ fidelis animus et amici non frivola charitas transmisit. Cæterum placeat me salva stabilitate amicitia hoc quod elegeritis, sicut postulo, vestris scriptis edoceatis. Nolo enim nec garrulitatis improbitatem incurrere, nec rursus taciturnitatis nota in his quæ efferenda sunt juste damnari.

## VI.

### APPARITIO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI

IN PARTIBUS OCCIDUIS,

HOC EST IN MONTE TUMBA IN GALLIA.

*Scripta ab auctore anonymo ante sæculum x.*

(Ex Mabillonio, Acta Sancti. ord. sancti Benedicti.)

#### OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Non ab re fuerit paulum digredi extra metas, ut locum demus celebri sancti Michaelis apparitioni, quæ rebus ordinis nostri non parum attulit splendoris. Hæc quippe occasionem præbuit exstruendo per insigni monasterio *sancti Michaelis in monte Tumba*, seu in *periculo maris* dicto, quod Richardus primus Nortmannorum dux monachis Benedictinis concessit, exclusis ob vitam solutiorem clericis, qui montem ante a monachis occupatum incolebant. Auxit loci famam et frequentiam religio monachorum, qui in angusta montis abrupti crepidine magnificam condidere basilicam, ducentorum et triginta octo pedum longitudine, altitudine centum supra triginta quinque; regulares autem ædes paulo infra circum basilicam, quibus accessit in declivi montis latere aquilonari oppidum, patroni sui præsidio et situ loci firmissimum adversus Gallia hostes munimentum. Istuc voti causa frequentes ex universa fere Europa concurrunt peregrini: quos inter Gallia reges non pauci, nempe Ludovicus VII et sanctus Ludovicus, Philippus III, Carolus VI, Ludovicus XI, adeoque Henricus II Angliæ rex, suam loco præsentiam exhibere dignati sunt. Istic Ludovicus XI jam dictus sancti Michaelis equestrem ordinem instituit, cujus generalia comitia quotannis eodem convocari diu moris fuit. Guillelmus Major Andecavorum episcopus electus anno 1291, Colinum quemdam removit ab incesta consuetudine, ea pœna imposita, quod ipse in die Pentecostes publice in ecclesia sua peram et

C baculum a sacerdote, ut moris est, acciperet, inde iturus nudis pedibus ad montem beati Michaelis in monte Tumba: qui sacerdos exponat ibidem populo causam, quare dictus Colinus sic vadit in montem beati Michaelis, et quod sit ei ex parte nostra injunctum in pœnam dicti publici incestus, inquit Guillelmus ipse in libro de Gestis suis, cap. 19, tomo X Spicilegii Acheriani.

2. Tempus factæ apparitionis revocant loci veteres chartæ ad annum 708; ecclesiæ vero a sancto Autherto constructæ dedicationem ad annum insequentem, cum Childebertus tertius Francis imperabat. Rodulfus Glaber in Vita Roberti regis ecclesiam beati Michaelis laudat, quæ, inquit, constituta in quodam promontorio littoris Oceani maris, toto orbe nuncusque habetur venerabilis. Sane Edelredus Angliæ rex, teste Willelmo Gemeticensi monacho, in lib. v, cap. 4, quæ satrapis suis regio præcepit, ut euntes totam Nortmanniam rapinis et incendiis exterminarent, solummodo archangeli Michaelis monti parcerent. Quinetiam Angliæ præcæles in Oxoniensi concilio statuerunt, anno 1222, quod ut dedicatio sancti Michaelis in monte Tumba a rectoribus ecclesiarum devotissime celebraretur: quod in tota provincia Lugdunensi secunda et plerisque aliis Gallicani regni ecclesiis olim observatum.

3. Qui subjectam apparitionis et dedicationis historiam descripsit auctor anonymus, vixit paulo post id temporis quo res contigit, certe antequam